

datum, ad consuetudinem, patet ex eo quia consuetudines illae quibus jus resistit, seu easdem improbat, non possunt induci juxta dicta, num. 37 et 44, ac seqq. Accedit, quod consuetudo sit species juris, habeatque vim legis; ac proinde sine auctoritate, saltem iuridica, sive per publicam legem data illius, qui potest legem condere, introduci nequit; et multo minus prior lex per eam tolli, ob dicta, num. 436. Unde consuetudo, ceteroquin ratione illis, ac legitime praescripta, non sumit vires suas a potestate subditorum; sed a fomento juris, et auctoritate legislatoris, seu Papæ, permittentis induci ejusmodi consuetudinem contra canonem, cap. ult., h. t., cum similibus. Abbas, in d. cap. ult., n. 8, h. t., hinc solvens illud mirabile (ut vocat) quod consuetudo possit contra canones induci per inferiores, non autem ab istis possit fieri statutum contra eosdem: quia nimis ibi intervenit auctoritas, seu consensus saltem legalis, ipsius Papæ; non autem hic. Id ipsum docet Sperellus, decis. 89, *Fori ecclesiast.*, n. 8 et 14, nec in re dissentient ceteri, atque concordant dicta superius, n. 41 et 106.

141. *Solvitur fundamentum sententiae affirmativæ.* — Dices. Rota Romana, et doctores n. 436, allegati ad hoc ut consuetudo contra canones valeat, requirunt certam scientiam, et expressum consensum Principis, seu Papæ; ergo consensus mere legalis ad id non sufficit. Resp. Hanc imprimis sententiam, nisi melius explicetur, fortiter impugnari per cit. cap. ult. h. t. et cap. 1, constitut. in 6, ut jam superius n. 437, dictum est. Deinde allegati doctores, ac in specie Sperellus, et Fagnanus, ubi supra, loquuntur in casu consuetudinis, cui jus commune resistit, eamque improbat: prout Sperellus, cit. decis. 133, n. 19, et 20, semetipsum explicat, asserens, quod consuetudines illæ, de quibus ibidem loquitur, «non tam dicendæ sunt consuetudines, quam corruptæ.» Sicut et Fagnanus cit. c. *Utrum autem, de Cognat. spirit.* loquitur de tali consuetudine, quam secutus, in cap. 1, *de Sponsalib.* appellatur «Transgressor legis evangelicæ:» prout et ipse sese declarat, loc. cit. n. 15. Quia igitur in hisce casibus deficit consensus juridicus, seu generalis per legem communem a principe datus, respectu talis consuetudinis inducendæ, mirum non est, quod ea nullo unquam tempore possit contra canones induci absque expresso consensu Papæ; puta,

concesso per speciale privilegium, ac postea continuo practicatum, juxta dicta superius § 3, n. 61, et 64, ac seqq. Atque eodem modo potest responderi ad decisiones Rotæ, utpote pro allegatis consuetudinibus a jure reprobatis adductas: praesens autem conclusio, et communis sententia juris peritorum, solum loquitur de consuetudine rationabili, et legitimate praescripta; cui proin jus commune non resistit, nec deest consensus saltem generalis, ac juridicus Principis, sive Papæ.

142. *Ad inducendam consuetudinem contra legem, an requiratur bona fides? Et rationes sententiae affirmativæ.* — Quæritur VI. An ad consuetudinem inducendam contra legem requiratur bona fides? Affirmant Glossa c. *Non est*, §. *Canonice*, h. t. in 6; Suarez, lib. IV *Defensionis fidei cathol.* c. 52, n. 20.; Layman, cit. cap. xxiv, n. 44; Lessius, lib. II, cap. vi, n. 46; Sylvester, et alii plures. Rationem dant, quia consuetudo debet «esse legitime praescripta,» juxta saepe cit. cap. ult. h. t. Ergo sicut ad omnem aliam praescriptionem, ita et ad prescribendam consuetudinem, requiritur bona fides: nam, ut habet reg. 2, juris in 6: «Possessor malæ fidei, ullo tempore non prescribit:» cum concordantiis. Ex hoc proinde inferunt hujus sententiae auctores, quod primilegum reipublicæ utilem cognoscentes, eamque illicite transgredientes praescriptionem, ipsamque consuetudinem re ipsa inchoare non possint: quamvis eorum successores, videntes legem ab antecessoribus suis non fuisse observatam, existimare atque in dubio presumere valeant, eos habuisse justam legis non servandæ causam, sieque consuetudinem inchoare, vel quasi bona fide ab antecessoribus inchoalam, perficere possint; prout explicat Layman loc. cit. allegans alios.

143. *Sententia negativa suadetur.* — Oppositorum nihilominus tenent Jason I. *De quibus* n. 49, ff. *de Legib.* post Joan. Andream, Baldum, archidiaconum, Hostiensem, et alios; Sanchez, lib. VII, *de Matrim. disp.* 4, n. 14; Valensis, h. t. §. 3, v. 6; Diana, part. VIII, tract. VII, resol. 37; Lugo, disp. 8. *de Justit. et jur.*, sect. 6, n. 96; Haunoldus, cit. tract. I, cap. III, n. 136; Bonacina, piuresque alii. Ratio hujus desumitur ex communi sensu hominum: alioquin enim vix unquam a subditis prescribi posset ulla consuetudo contra legem; cum moraliter impossibile sit, ut subditi ab initio non sciant se agere contra legem, sieque consuetudinem mala fide in-

§ V. DE ALIIS AD CONSuetudinem INDUCENDAM REQUISITIS.

293

cipient. Certe, in dubio nunquam posset presumi pro valore consuetudinis: quia praesumitur lex non ignorari (quinimo juris ignorantia non excusat, juxta reg. 13 juris in 6) adeoque transgressiones praesumerentur esse peccaminosa; sieque everteretur tota propemodum materia, et juris utriusque dispositio circa consuetudinem. Accedit, quod consuetudo non inducatur ex errore, sive ex actibus ob legis ignorantiam elicitis, ut dictum n. 126; ergo ex hoc capite successores priorum non possunt consuetudinem inchoare, vel perficere.

144. *Solvuntur rationes in oppositum.* — Nec urget ratio in oppositum. Quia consuetudo solum improprie dicitur praescripta, quatenus nimis tempore legitimo, seu longo, debet esse continuata, ut dictum n. 90; alias autem plures sunt differentiae inter consuetudinem, et praescriptionem, supra n. 23, et seqq. assignatae. Adde aliam quoad propositum disparitatem: quia praescriptio cum mala fide facta, redundaret in damnum tertii innocentis, cui res sua injuste auferretur, non sic consuetudo contra legem. Etenim, cum lex tota ordinetur ad bonum commune subditorum, si constet per experientiam, optimam rerum magistrum, quod a subditis non observetur, sieque non nisi ad conscientiae laqueum deserviat, non vero ad utilitatem subditorum; tanquam destituta suo fine, sapienter, ac merito a legislatore, subitorum infirmitati condescendente, censorur revocari saltem per consensum suum legalem, et juridicum, non obstante mala fide subditorum, qui per legis transgressionem antehac peccaverunt.

Quod si omnino contendas, requiri bonam fidem in praesribenda consuetudine contra legem, ne alioquin sequi videatur, haeticos omnibus Ecclesiae legibus vi contrariae consuetudinis esse exemptos. Certe causæ rationalitas, ob quam populus legem non observat, actuumque frequentia, et legalis, seu juridicus principis consensus eam sufficienter supplebit.

145. *Hæreticorum consuetudines contra statum Ecclesie catholicæ sunt irrationalibes, ac invalide.* — Neque urget instantia de haeticis. Resp. enim, impræsentiarum esse sermonem dumtaxat de consuetudinerationabili. Patet autem, tales non esse consuetudines haeticorum, tum quia haec procedunt ex pertinaci errore contra veram fidem catholicam, atque directe tendunt in contemptum

sancæ matris Ecclesie, ejusque visibilis capit, Christique in terris vicarii Romani pontificis; adeoque veluti repugnantे veræ fidei, jurique divino, rationabiles esse neutram possunt; tum quia patet ex dictis § 3, n. 56, et n. 59, et n. 71, et seqq. quod consuetudines illæ sint irrationalibes, per quas rumpitur nervus ecclesiasticæ disciplinæ, impeditur morum reformatio, debita extinguitur obedientia, peccandi licentia ministratur, aut deformatur status Ecclesie universalis: atqui haec omnia fiunt per depravatas illas hæreticorum consuetudines, quibus pestifero odio erga sanctam Ecclesiam, ejusque visible caput Pontificem Romanum, saluberrimas ipsius leges, atque sacras constitutiones, non ex parte dumtaxat, sed in totum, imo et ipsam potestatem legislativam, divinitus ipsi concessam, pertinacissime negant, contemnunt, concilant, et contumaciter transgrediuntur. Unde verificatur illud in ipsis, eorumque depravatis consuetudinibus, quod cap. ult. h. t. refertur, videlicet «tanto graviora esse peccata, quanto diutius infelitem animam detinent alligatum.»

146. *An ad consuetudinem requiratur, ut sit obtenta in judicio contradictorio?* Afferunt ratio dubitandi. *Judicium contradictorium quid?* — Quæritur VII. Utrum ad consuetudinem requiratur, ut etiam in contradictorio judicio sit obtenta? Ratio dubitandi desumitur ex l. *Cum de consuetudine*, ff. *de Legib.* ubi dicitur. «Cum de consuetudine civitatis, vel provinciæ confidere quis videtur, primum quidem illud explorandum arbitror, an etiam contradictio aliquando judicio consuetudo firmata sit.» Accedit Glossa in c. *Abbate*, vers. *Contradicto judicio. de Verb. signif.* ubi ait: «Ad hoc, ut consuetudo valeat, oportet ut sit obtenta contradictio judicio, id est, si ex adverso negetur consuetudo, ff. *de Legib.* l. *Cum de consuetudine*, etc. Contradictonum judicium dicitur, puta, cum ego dicere hanc esse consuetudinem; adversarius dicebat non esse consuetudinem, et judicatum fuit, quod erat consuetudo.» Haec Glossa.

147. *Sententia negativa probatur.* — Resp. nihilominus cum Abbatе cap. ult., num. 16, h. t. allegante communem opinionem canonistarum, et legislatorum, id non requiri, sed sufficere ad consuetudinem introducendam actus extrajudiciales: quia in eis etiam consensus, et usus populi verificatur. Accedit quod nullo jure hoc requiratur, imo et oppositum satis innuat, cap. ult. h. t. ubi ad

consuetudinem sufficere dicitur, « quod sit rationabilis, et legitimate præscripta. » Et revera, si ad eam necessario requiretur, ut sit obtenta in contradictorio iudicio, defectu hujus conditionis nulla prorsus nova dari posset consuetudo; cum prima consuetudo nunquam potuerit, nec possit esse obtenta in contraditorio iudicio, ut patet.

148. *Solvitur ratio dubitandi.* — Nec urget cit. l. *Cum de consuetudine*, ff. de Legib. Nam hæc non loquitur de introductione consuetudinis, sed de ejus confirmatione; ut liquet ex illis ejus verbis: An etiam contradictio iudicio consuetudo firmata sit. « Ubi pondemandu[m]ly « firmata sit. » Unde sensus illius legis est, hoc imprimis a judice esse expolorandum: quia, si talis consuetudo jam aliquando in iudicio recepta est, ac pro ea extitit iudicatum, tunc allegans consuetudinem, quam alias tanquam rem facti per testes probare deberet, relevatur ab onere probandi; cum ex priori iudicio, ac sententia, consuetudo illa jam sit firmata.

§ VI.

DE EFFECTIBUS CONSuetudinis.

149. *Quatuor generatim sunt effectus consuetudinis; et qui?* — Quæritur I. Quot generatim sint effectus consuetudinis? Resp. Quatuor, videlicet interpretatio legis jam præexistens, abrogatio legis antea posita, obligatio sive inducio novæ legis, et irritatio actus in contrarium gesti. Ita communis. Et quidem juxta priores tres effectus, passim dividitur *Consuetudo in eam*, quæ est secundum legem, præter legem, et contra legem, ut dictum, num. 8, et seqq.

150. *Consuetudine potest irritari actus in contrarium gestus.* — Quartus autem effectus, videlicet irritatio actus in contrarium gesti desumitur ex cap. ult. h. t. et l. *De quibus*, ff. de Legib. cum concordantiis. Ubi generaliter ac sine limitatione, consuetudo rationabilis, et legitimate præscripta, vim legis habere dicuntur; eo quod nihil intersit suffragio populus voluntatem suam declarat, an rebus ipsis et factis: cum igitur detur lex irritans actus in contrarium gestos, pari ratione id per longævam consuetudinem fieri poterit. Sic per consuetudinem loci efficitur quis inelegibilis, et inhabilis ad beneficium ecclesiasticum, c. *Cum olim*, 6, juncta Glossa fin. de Cleric. conjugat. Sic etiam electio contra

consuetudinem legitime præscriptam atten-tata non valet, sed irrita declaratur, c. *Cum dilectus*, 8, h. t. et c. *Cumana*, 50, de Election. cum similibus. Et hæc de quarto consuetudinis effectu: nunc de aliis tribus singillatim agendo

151. *Dupliciter interpretatur legem, videlicet authentice, sive necessario, si est consuetudo juris.* — Quæritur II. Quibus modis consuetudo possit interpretari legem præexistentem? Resp. dupliciter id fieri, videlicet authentice sive necessario, et probabiliter seu conjecturaliter tantum; juxta quod consuetudo alia est juris, et legitimate præscripta; alia facti dumtaxat, et consistens in mera frequentatione actuum. Et quidem « Consuetudo juris, » quæ videlicet legitimate fuit præscripta, sicut vim legis obtinuit, interpretatur legem authentice, adeo ut ejus interpretatione sit necessaria, seu necessario observanda. Hæc quippe nomine *Consuetudinis absolute posite intelligitur*, c. *Cumana*, 50, de Election, ac proinde de ipsa procedit illud c. *Cum dilectus*, h. t. et l. *Si de interpretatione*, ff. de Legib.; ubi dicitur: « Optima est legum interpres consuetudo. » Et l. *Nam imperator*, ff. eod. ubi imperator rescripsit, « in ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiuntur, consuetudinem, aut rerum perpetuo similiter iudicatarum auctoritatem, vim legis obtinere debere. »

152. *Et conjecturaliter, seu probabiliter, si est consuetudo facti.* — Cæterum *Consuetudo facti*, quæ nimurum est in fieri dumtaxat, et consistit in mera frequentatione actuum, estque via ad priorem (ac proinde solet nonnunquam appellari *Consuetudo in fieri*) solummodo conjecturaliter, sive probabiliter mentem legislatoris, ipsiusque legis, interpretari potest: prout in simili doctores interpretantur leges probabiliter solum, non item necessario. Quanquam adhuc altiori quadam ratione id præstet consuetudo præ doctoribus, eo quod ibi plures in unum conveniant, et quidem rebus ipsis ac factis; per majorem videlicet communitatis partem præsitis, et non verbis precise; unde etiam successu temporis consuetudo vim legis obtinere noscitur, quod interpretationi doctorum nonnunquam conveniet.

153. *Neque ad hoc posterius requiritur decennium.* — Et quidem hujusmodi consuetudo interpretativa conjecturalis neutiquam expostulat tempus decennii (ad instar consuetudinis interpretativæ authenticae) sed

§ VI. DE EFFECTIBUS CONSuetudinis.

minori tempore est contenta: eo quod istud jure non reperiatur definitum, simulque ipsa vim legis nondum habeat, neque necessario sit tenenda. Unde Menochius, lib. II, de Arbitr. judic., cas. 83, n. 10, post Cravellam, consil. 21, n. 12, et alios, haud immerito dixit, quod, si agatur de consuetudine interpretativa, possit judex aestimare eam satis stabilitam parvo tempore, cum temporis diuturnitas in his non requiratur. Quod tamen est intelligendum de probabili, seu conjecturali consuetudine: nam ad interpretativam consuetudinem authenticam requiri saltem decennium, concedit idem Menochius, loc. cit. n. 6, allegans communem. Et hæc quoad primum consuetudinis effectum, qui est Interpretatio legis jam præexistentis: nunc pergendo ad alios nobis dicere est:

154. *Consuetudo rationabilis potest abrogare legem, ejusque obligationem.* — Quæritur III. Quia ratione consuetudo possit abrogare legem præexistentem? Resp. I. Certum est, et in confesso, quod consuetudo rationabilis, ac legitimate præscripta, vim habeat abrogandi legem præexistentem, ejusque obligationem. Patet: hoc siquidem ex cap. ult. h. t. cum concordantiis.

155. *Imo et poenam legis manente ejus obligatione ad culpam, et econtra.* — Resp. II. Potest insuper ejusmodi consuetudo abrogare poenam legis, manente hujus obligatione ad culpam; et vicissim tollere legem quoad culpam, remanente ejus obligatione ad poenam: dummodo hæc non sit talis conditionis, ut culpam necessario præsupponat. Ita Suarez, lib. VII, de Legib., cap. xix, num. 3 et 12; Castro Palao, part. I, tract. III, disp. 3, punct. 4, § 2, n. 4, citans alios. Ratio est, quia iura indistincte loquuntur de sublatione legis positivæ humanæ per contrariam consuetudinem legitimate præscriptam. Deinde si per contrariam consuetudinem potest lex abrogari ex toto, cur non etiam eidem poterit derogari ex parte? Nam consuetudo non nisi ex tacito, sive legali consensu principis, vim suam obtinet: clarum est autem, quod possit princeps abrogare poenam in lege positam, manente ejus obligatione quoad culpam; et vicissim tollere legis obligationem quoad culpam, remanente obligatione ejus quoad poenam, prout tale quid accidit in lege mere poenali: id ergo fieri potest consuetudine legitimate præscripta.

156. *Idque exemplificatur* — Et hac ratione,

quod Extravag. Ambitiosæ, de Rebus eccles. non alienand. in quibusdam locis sit recepta ad nihil, in aliquibus ad aliquid, non autem quoad poenas ipso jure inficias, tradit Navarrus, cap. xvii. Manual, n. 149, et 150, post Cajetanum: ac sequitur Guillelm. Herinex, disp. 5, de Legib. quæst. 2, num. 14, citans alios. Idemque videtur est in pluribus aliis decretis varias poenas imponentibus, quæ jam usu contrario cessarunt, manente cæteroquin legis obligatione. Accedunt dicta tit. de Constitutionibus, § 9, n. 206, ubi etiam exempla quædam referuntur, in quibus consuetudine longæva, videtur lex mixta transiisse in mere poenalem.

157. *Ac limitatur in censuris.* — Additur notanter num. 155: « Dummodo poena non talis conditionis, ut culpm necessario præsupponat. » Nam fallit conclusio in censuris ecclesiasticis, utpote quæ non imponuntur nisi contumacibus, et Ecclesiæ inobedientibus; sicque culpm propriæ dictam præsupponunt.

158. *Consuetudo habet vim obligandi etiam pro foro conscientiae.* — Quæritur IV. Utrum consuetudo legitimate introducta habeat vim obligandi etiam pro foro conscientiae? Resp. Loquendo de consuetudine quidpiam præcipiente, aut prohibente, habet ipsa vim obligandi nedum pro foro externo, sed etiam pro foro conscientiae: unde, si alicubi ex longæva consuetudine, et concurrentibus aliis conditionibus hactenus enumeratis, celebretur dies festivus veluti de præcepto, absque dubio is tandem obligabit etiam pro foro interno, et conscientiae. Ita communis; et patet ex can. *Illa autem*, dist. 12, ubi loquendo pro foro conscientiae, aliquid evitando peccato, hoc ipsum traditur de observantia jejunii, allegato illo sancti Ambrosii effato: « Cum Romam venio, jejuno Sabbatho; cum Mediolani sum, non jejuno: » propter diversam videlicet utriusque Ecclesiæ consuetudinem. Id ipsum convincit ratio manifesta: quia consuetudo pro lege suscipitur, estque jus non scriptum; ergo, sicut lex juxta materiæ qualitatem obligat in conscientia, ita et consuetudo legitimate præscripta.

159. *Et quæ ad asserendam talem obligationem in praxi sint attendenda?* — Additur notanter « et concurrentibus aliis conditionibus hactenus enumeratis. » Nam in praxi ad asserendam hujusmodi obligationem vel maxime erit attendendum, utrum actus illi a maiore